



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv

Reggio, Carlo

Romæ, 1612

De alijs statibus. cap. 22.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

Contra Me-
retrices .

proponat sancta opera quibus dedita esse debent , vt sunt ora-
tiones, sacramenta, elemosynæ. Si quando ad mulieres prosti-
tutas & meretrices, vel aliter male viuentes habebitur sermo,
vel inter concionandum de ijs mentio incidet, toto hoc de ge-
nere cum nausea, & stomacho dicet, significans quam sint à de-
monibus possessæ ; & inferni catenis alstrictæ , & instrumenta
Diaboli ad animarum ruinam. Ostendat primo quam grauius
peccent non solum in malum suum, sed in scandalum multorum,
sunt enim quasi incendiariæ Ciuitatum; Colloquium illius quasi
ignis exardescet , & non solum rebus aut corporibus inferunt
damnum, sed maximè animabus quas laqueis diaboli irretiunt.
Nam Ad vincula stultus rapitur ; & Inueni amariorem morte
mulierem, quæ laqueus est venatorum (id est dæmonum) sage-
na cor eius, vincula manus. Secundò quam sint abominabiles,
ac detestandæ ; Mulier fornicariæ quasi stercus conculcabitur,
præsertim cum amittitur verecundia , & pudor, in peccato vi-
lissimo, & tam infami, quod Deus maximè odit. Tertiò propo-
nat ea quæ renouare possunt ab hoc barathro, quæ sunt, Dei be-
nignitas Hierem. Tu autem fornicata & c. veruntamen ad me
reuertere dicit Dòminus; Timor gehennæ. Veni ostendam tibi
damnationem meretricis magnæ ; Gratia item concessa B. Ma-
riæ Magdalenæ post conuersionem, quæ prius erat infernus qui-
dam dæmonum , facta est paradisi Angelorum , quæ (vt ait
Augustinus) Frontosa erat ad perditionem, sed frontosior ve-
nit ad salutem .

Eccl. 9.

Prou. 7.

Eccl. 7.

Eccl. 9.

Hier. 3.

Apoc. 15.

In Ps. 125

De alijs Statibus . Cap. XXII.

Aulicorum
peccata .

Act. 17.

SEPTIMO eodem modo pro loco ac tempore poterit admonere
sui officij omnes alios in quocunque statu; scilicet Auli-
cos Aduocatos Medicos, Mercatores, Milites, artifices, paupe-
res, ac mendicos. Aulicorum status non caret periculo. Pecca-
ta eorum sunt, Adulationes, simulationes, mendacia, quia veri-
tas odium parit , quare sapienter à multis dictum hoc vnum
deesse Principi, cui omnia videntur præsto esse , nempe qui ve-
rum ei dicant. Inuidiæ inter sui similes, obreftationes & infam-
iæ, ambitiones, deliciofa, ac proinde mollis, & delicata vita,
plurimorum seges malorum . Solent spargere falsos rumores
sæpe cum infamia aliquorum , quia plerique illorum laborant
illo vitio quod dicitur in actis Apost. Ad nihil aliud vacant,
quàm aut dicere, aut audire aliquid noui, non solent esse mis-
ericordes

ricordes erga calamitosos . Aduocati sunt admonendi graue
 peccatum , esse adeoque ad resarcienda damna eos saepe teneri
 si iniustam causam defendant , si inscitia iuris & legum labo-
 rent , si negligenter studio & defensioni attendant , si falsum
 aliquid in suis , vt vocant , allegationibus afferant ; si vtantur
 fraudibus ; si petant superfluas dilationes , quo plus lucrentur ;
 si maiorem iusto mercedem accipiant . Moncantur vt libenter
 defendant causam alicuius Vidue , aliquando , aut pupilli , & me-
 dici qui iniuste oppugnentur idque faciant sine mercede , solum
 ex amore Dei , quando id opus tantum tamque saepe Deus com-
 mendat . Medicos hortetur ad bene suum munus exequendum ;
 Debent enim esse suæ professionis periti , ne vitam ægroti in
 discrimen adducant , facile enim euenire posset vt aliqui per in-
 scitiam , rei fierent mortis multorum , si minus apta medicamē-
 ta præberent . Debent diligentes esse in uisendis : quos curandos
 suscipiunt , præsertim vbi res sit grauis & dubia . Quare non de-
 beret quisquam , nisi sit valde peritus multorum ægrorum cura
 assumere , quibus non possit commodè providere . Caueant
 ne propter lucrum differant sanitatem . Contra eos qui præbent
 medicinas , quæ sint contra Dei præcepta . Extat excommunica-
 tio lata sententiæ extra de pœn . & rem . Videant vt liberandis
 hominibus à lege ieiunij Ecclesiastici adsit legitima causa . Ser-
 uent decretum quod habetur ext . de pœn . & rem , cap . cum in-
 firmis , scilicet vt ægroti aduocent medicos animarum , & cõ-
 fiteantur peccata , & ipsi vehementer timeant seuerum Dei iudi-
 cium si ipsorum culpa absque Sacramentis ægroti ex hac vita
 discedant . Admoneantur misericordiæ erga pauperes , qui non
 possunt mercedem persoluere , quã cum magno fœnore à Chri-
 sto recipiunt . Ob id deberent aliquos huiusmodi ægrotos sem-
 per misere , & etiam proprijs elemosynis aliquid eis provide-
 re , qui in graui necessitate versantur . Doctores qui docent Phi-
 losophiam , seruent decretum Concil . Lateran . sub Leone Deci-
 mo , Ludj magistri debent habere zelum virtutis , vt pueros edu-
 cent in pietate Christiana , non solum in literis humanioribus ,
 non prælegant eis libros in quibus aliquid lasciuum appareat ,
 curent vt omnes saltem singulis mensibus accedant ad confessio-
 nis Sacramentum , non permittant eos licenter versari aut col-
 loqui , sed instituant in amore pudicitie . Milites audiant illud
 ex Ioanne Baptista . Neminem concutiatis , nemini calumniam
 faciatis , estote contenti stipendijs vestris . Abstineant ab impu-
 dicitia , rapinis , sacrilegijs blasphemijs , à bello iniusto , pugnēt

Aduocatorū
peccata .Medici quid
præstare de-
beant .Medici quid
præstare de-
beant .Cap. cum
Infirmi-
tas .

Doctores .

Milites .
Luc . 3 .

Mercatorum
peccata.

Psal. 70.

Cap. 21.

Matth.

pro fide, pro iustitiæ defensione. Habeant mundam & benè paratam semper conscientiam, quia in perpetuò discrimine vitæ sunt; Sacramenta frequentent. Mercatores & camplores aliqui Sanctorum vehementer reprehendunt Chrysostrmus Augustinus, & Cassiodorus in illud, Quoniam non cognoui literaturam; Vbi septuaginta interpretes vertunt, Mercaturam, Non quod eorum status illicitus sit, cum satis constet necessarium Reipublicæ esse, sed quia est periculosus, tum propter improbitatem eorum, qui fraudibus, ac mendacijs ius peruertunt, dum merces plus iusto præcio diuendunt, vel occultant vitia, tum propter lucrum, quod ut finem vltimum facile sibi proponunt, Deum, & conscientiam offendunt, & aliqui versiculum illum re ipsa assidue decantant, O ciues, ciues quærenda pecunia primum est, Virtus post nummos. Adeo ut dicat Eccl. Duz species, difficiles ac periculosæ mihi apparuerunt, difficile exitur negocians à negligentia, & non iustificabitur Caupo à peccatis laborum, difficile planè est inter ementis, & vendentis

Eccl. 2.

Cõsiliu bonu
nũ pro Mercatore.

commercia non interuenire peccatum. Fortè posset dari Mercatori bonum consiliu hoc. Primum ut si aliter suppetit vnde viuat abstineat à mercatura, cum semper tutior via eligenda sit. Secundò si hoc non licet saltem curet ne in hoc officio vitæ absoluat, sed vbi aliquid acquisiuit, rationibus diligenter compositis, ne aliquid mali in conscientia relinquatur, imponat negocijs finem ne eueniat ei, quod ait Chrysostrmus piscatori cuidam contigisse, qui cum piscibus plena esset nauicula, & tamen adhuc piscationi infisteret, aduerso oborto vento, & pisces, & nauiculam, & vitam amisit. Tertiò saltem ponat modum lucris, & cupiditati, ne crescat sine vilo termino cum omnibus alijs artes suis terminis concludantur. Artifices & laboribus manuum occupatos scriptura sacra laudat. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo. Quasiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum.

Boni Artifices.

Eccl. 7.

Prou. 31.

Gen. 4.

Ephef. 4.

Abel fuit primus pastor, & multi ex antiquis Patribus pastorem vitam egerunt. Tubalcaim primus faber in opere ferri & æris. Magis autè laboret manibus suis, (ait Paulus) ut habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Hi seruent præcepta Dei & Ecclesiæ. Diebus festis frequentent Sacramenta & Conciones. Si habent occasionem, piæ alicui sodalitati se adiungant, quales solent in multis Ciuitatibus reperiri. Si habent familiam, diligenter curent, ut in timore Dei viuat, suo etiam labore sustentet. Nec sint ei similes de quo dicitur operarius ebrius

sus non locupletabitur; sicut etiam qui ludis est deditus ad ino-
 piam se ipsum, & totam familiam in angustias redigit. Nemi-
 ni fraudem faciant in suis operibus, sed iustitiam colant, & ve-
 ritatem. Pauperes & medici ante omnia consolatione indigent,
 ut intelligant Deum non parui eos facere, cum magis contra
 diuites, sacræ literæ inuehantur. Væ vobis diuitibus. Et Væ væ
 Ciuitas illa magna quoniam vna hora venit iudicium tuum, Et
 recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autē
 ille consolatur, tu verò cruciaris. Monendi sunt tamen, & incre-
 pandi mali pauperes, de quibus dicitur, Nequissima paupertas
 in ore impij, quales sunt qui furantur, blasphemant, exponunt
 se peccatis, murmurant contra Deum desperant, raro accedūt
 ad Sacramenta, modicam suæ salutis curam habent. Contra
 quos clamat scriptura. Qui tentationes non susceperunt & im-
 patientiam suam, & improprium murmurationis suæ contra
 Dominum protulerunt exterminati sunt. Vtile esset ut institua-
 tur aliqua congregatio ex his ipsis medicis ad quam certo die
 conueniant, vbi doceantur, & excitentur ad pietatem, & vt li-
 benter conueniant, aliquid eis elemosynæ, & corporalis alimē-
 ti corrogetur vt Romæ fit, vbi ad radices Montis Quirinalis
 Pauperulorum Hebdomadaria conglomeratio, in Aede San-
 cti Vitalis congregatur, qui tum singulatim à nostris nouitijs
 circa res Christianæ disciplinæ, tum ab Ecclesiaste, è superiore
 loco instituuntur; atque inde post litanias decantatas singu-
 lis viricim pane, & pecuniolis, piorum ad id liberalitate corro-
 gatis subuenitur. Quod ideo hic monuisse me non piguit, tum
 vt Christianos ad simile pietatis opus impellerē, tum vt istius
 Catecheseos fructus palam fieret, qui non corpori modo, ve-
 rum etiam animabus egentium est proficiuus, quod & Confes-
 sionum frequentia demonstrat, & pia ad Sanctissimum Sacra-
 mentum altaris deuotio, quod mensibus singulis in eodem
 Templo non sine concursu pauperibus iisdem porrigitur.

His quæ à me hæcenus dicta sunt de varijs hominum stati-
 bus, poterit diligens Verbi Dei præco annectere quæ in tertio
 libro toto, sui pastoralis prudenter colligit S. Gregorius, vbi se-
 ptuaginta duo personarum genera numerat, quibus propria sunt
 admonitiones assignandæ, aliter enim, ait, admonendi sunt viri,
 aliter feminae, aliter iuuenes, aliter senes, aliter inopes, aliter
 locupletes, aliter lati, aliter tristes,] & in hunc modum subij-
 cit ceteros, & subdit; Sed quid vtilitatis est quod cuncta hæc
 collecta enumeratione transcurrimus si non etiam admonitio-

Mendicorū.

Luc. 6.

Apoc. 18.

Luc. 19.

Ecc. 13.

Judith. 8.

Congregatio
Mendicorū.

Admonitio-
nes S. Geor-
gij.
In Past.

nis modos per singulos, quanta possumus breuitate p̄damus. Harum autem admonitionum attenta lectio poterit non mediocriter Concionatoris prudentiam adiuuare. Ad eandem etiam rem videtur pertinere liber siue sit Cypriani, siue Augustini, siue alterius, qui est de duodecim sæculi abusibus, qui sunt. Prædicator sine operibus bonis; senex sine religione; iuuenis sine obedientia; Diues sine Elemosyna; femina sine pudicitia; Dominus sine fortitudine; Christianus contentiosus; Pauper superbus; Rex sine Iustitia; Episcopus negligens, Plebs sine disciplina; Populus sine lege. Ex his suam prudentiam in loquendo, & industriam augere poterit Concionator.

Abusus duodecim.

In statibus quæ confideranda.

Hæc de statibus dicta sint in quibus Orator Christianus, vt aptè, & cum fructu loquatur, primò det operam vt cognoscat status ipsos, eorumque officia, & actiones proprias. Secundò vitia & peccata in quæ solent incurrere vt moneat corrigatque. Tertiò aduertat commoda vel incommoda, difficultates vel occasiones quæ insunt ad bene vel malè viuendum, vt remedia præbeat. Quartò quæ sit eorum necessitas, & vtilitas, & præstantia in Republica Christiana. Quintò quæ virtutes in singulis desiderentur & eas hortetur insequendas.

Inuehatur in omnia peccatorum genera, & abusus malos. Cap. XXIII.

Prudentia circa materiã. In via purgatiua.

Cum in secunda parte ad tres vias totam huius facultatis materiam reuocauerimus, nunc pauca in singulis adijcienda sunt, quæ ad prudentiam maximè faciunt. In via ergo purgatiua perpetuam cum vitijs pugnam ineundam sibi esse intelligat, omnesque belli machinas adhibendas, vt perditos homines, Deoque rebelles, & animæ suæ hostes à dæmonum tyrannide, & æternæ damnationis discrimine erutos sibi ipsis, ac Deo restituat. Intelligat inter præcipuas muneris sui partes hanc esse collocandam, vt omnia peccata acriter & seriò arguat, quod alibi à nobis est probatum. Nunc verò lubet aliquas peccatorum species enumerare, quæ vt frequentiores sunt, ita frequentius pro suggestu vrgebit. Non solum autem, arripere cum ea sese offert, occasionem oportebit, sed etiam ipse non oblatam captare, & inuenire studeat, cum enim ignis est accessus, & flamma diffunditur, an non vrget ipsa necessitas remedij adhibendi? & cum viget vis morbi, applicanda suo loco medicina, atque hoc docuit D. Paulus, cum monet instandum op-
portu-